



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Brisgoiæ, 1665**

88. Svlpitivs mercator dolet apud vicinum mercatore[m] plures reperiri  
emptores, idque sine grauiore culpa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40942**

Resp. Soterū ad nullam obligari restitutionem. Ita Molin D. 721. Less. Rebell. Lugo D. 17. de Iust. n. 19. & alij. Ratio est, quia Soter non tenetur ratione iniustæ acceptio- nis, propter bonam fidem, quam semper ha- buit: nec ratione rei acceptæ, ex quâ non est factus ditior: nec denique ratione lucri in venditione acquisiti, quia illud non à re alie- nâ, sed à propriâ industriâ obuenit, vt rectè aduertit Molin. *loc. cit. n. 6.* qualem fructum industrialē Laym. *Tr. 4. de Iust. cap. 13. §. 3. n. 25.* futurum fuisse censet, etiamsi Soter abs- que transportatione equum statim Augustæ prædicto pretio & lucro vendidisset, quid- quid secus sentiant plerique alij. Nam si esset fructus naturalis, vel civilis, sequeretur, eti- amsi dominus recuperâset rem suam ab vl- timo emptore, adhuc istum emptorem medi- um teneri illi restituere illud lucrum, tan- quam fructum rei suæ, quod nemo dixerit.

Atque ex his patet ad rationem in contra- rium; nam quando dicitur, *pretium succedere loco rei*, intelligendum id de pretio debito pro re, quale in præsentî non est penes Soterum, cum nec res amplius in ipsius sit dominio. Constat quoque eundem non debere lucrum restituere, cum illud non res ipsa, sed propria industria fecerit.

LXXXVIII. *Sulpitius mercator dolet apud se paucos emere, multos autem apud Seruilianum vicinum.*



*vicinum. Queritur. Vtrum committat peccatum mortale invidia?*

Videtur sic peccare, quia grauiter Charitati proximi repugnat, dolere bonum alterius existere. Ita Coninck *de actib. supernat. D. 30. n. 25.* post Valent. Suar. & alios.

Resp. Si Sulpitius tristetur, quod nõ potius apud se emant, non esse inuidiam, sed æmulationem bonam de carentia boni, vt fatetur Coninck *loc cit. num. 23.* quia hoc licitè possum procurare (sed sine fraude & detractio- ne) ergo etiam licitè optare, & si non fiat, dolere: Si verò Sulpitius tristetur, quia hoc est commodum alteri, & ipse inde obscura- tur & negligitur, tum esse inuidiam, sed pro- babiliter solùm venialem, vt docet Lorca *in 22. D. Thom: q. 36. in addit ad art. 3.* quia do- lere me de bono tuo, quatenus meum bonum diminuit, non est absolutè dolere de bono tuo, sed dolere de isto, quatenus hunc mo- lestum mihi effectum causat. Ergo talis tri- stitia & dolor non videtur ex genere suo con- stituere peccatum mortale.

Vnde ad rationem in contrarium dicimus, inuidiam tunc solùm esse peccatum mortale, grauiterque repugnare Charitati, cùm quis ita vehementer bono proximi inuidet, de que eo tristatur, vt ex illo affectu moueatur ad in- iustè remouendum proximi bonum: Secus si absque hoc periculo inuideat, & doleat, vt contingit in casu nostro.

LXXXIX.